

**Oratio ex harveii instituto in aedibus Collegii regalis medicorum : habita die quinto ante cal. Jul. MDCCCLVII / a Jacobo Copland.**

**Contributors**

Copland, James, 1791-1870.  
Royal College of Physicians of London.

**Publication/Creation**

London : John Churchill, 1857.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/enc7qjn2>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





BZ M  
8377 )



How - On




22101222244

WELLCOME  
LIBRARY


General Collections


M


8377


















Digitized by the Internet Archive  
in 2015


<https://archive.org/details/b21779752>


























*With The Authors*

ORATIO

ANNIVERSARIA

HARVEIANA.

---

MDCCCLVII.



FROM THE LIBRARY OF  
DR. T. J. PETTIGREW

B. xiv. Har







# ORATIO

EX

HARVEII INSTITUTO

6½

IN ÆDIBUS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

HABITA

DIE QUINTO ANTE CAL. JUL. MDCCCLVII.

---

A JACOBO COPLAND, M.D., F.R.S.

COLL. REG. MED. LOND. SOCIO, ACADD. REG. SCIENT. SUED. ET REG. MED. BELG. SOCIO  
HONORARIO, SOCIET. AMER. PHILAD. ET ACAD. LYNC. ROMÆ SOCIO, ETC.

---

LONDINI:

PROSTAT APUD JOHANNEM CHURCHILL.

MDCCCLVII.

[1857]



Harv. Or.

Dr. R. (Harvey)



WELLCOME INSTITUTE LIBRARY	
Coll.	WellMOmec
Coll.	W
No.	111
	6150

COLLEGII REGALIS MEDICORUM  
LONDINENSIS

PRÆSIDI, THESAURARIO, REGESTARIO,  
SOCIISQUE

HANC ORATIUNCULAM

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D.

JACOBUS COPLAND.





# ORATIO HARVEIANA.

---

PRÆSES CLARISSIME !

DOCTISSIMI SOCI !

VOSQUE AUDITORES ILLUSTRISSIMI !

**C**ORAM vobis, equidem huic occasioni impar, non sine timore  
asto.

Gravis ista calamitas, ab omnibus nuper deplorata, hunc laborem, a me temere susceptum, quem multi, me ingenio et doctrina præstantes, detrectaverunt, difficiliorem quidem, non vero injucundiorum efficit.

In hoc autem frequenti hominum eruditissimorum conventu, tum in Literis, tum in Scientia, tum in Arte Medicinæ excellentium, vereor ut verba mea, vestræ dignitati, huic rei, huic tempori, et loco, sufficiant. Mihi enim virum immortalem *Harveium*, et alios qui vel ante eum, vel post eum vixere, in memoriam revocanti, omnia quæ iis debemus commemorare difficillimum, immo quod vix possit fieri, videtur. Unum illud susciperem, me vobis res pristinas in memoriam revocando, eorumque qui medicinæ scientiam auxerunt animo gratissimo memoriam proseguendo, vestrum meique ipsius amorem incendere conaturum; quo studiis Medicinæ acriter incumbentes, humani ingenii imperium ad am-



pliora promoveamus, et in universum hominum genus diuturna beneficia conferamus.

Hodie, et in hac domo, Præses doctissime, vosque egregii Socii frequentes convenimus, ut illum virum amplissimum, quem nostra Ars Medicina, cui nos totos dedimus, suum principem et quasi lumen scientiæ colit, summo cum honore, et, quo nihil jucundius excogitari possit, grata veneratione prosequamur.

Quotiescunque igitur totam horum studiorum rationem intueor, materiam scientiæ pene infinitam, magnitudinem, et varietatem multiplicem, agnosco. Primo enim, res ipsæ a Medicinæ cultoribus sunt investigandæ; quæcunque obscura ab iis detegenda, quæ vera patefacienda.

Porro ea principia, quæ Philosophiæ quod dicunt "*practicæ*" inserviunt, et eidem aut præmium aut decus afferunt, e suis fontibus haurienda; morborum denique natura causæque penitus explorandæ, iisque remedia idonea excogitanda, atque adhibenda sunt.

Quæ cum ita sint, quis non in hac arte, tam recondita subtilique, in qua Medici versamur, *Harveii* nostri ingenium, et in omni parte cognitionis doctrinam jure admiretur?

Quis non eundem tum patriæ tum toti terrarum orbi, magnum per omne tempus, beneficiorum auctorem, liberrime fateatur?

Sed nimirum *Harveio*, utpote rei novæ atque adhuc inauditæ, inventori atque auctori, laus maxima debetur. Nam quid de seculis eum antecedentibus dicam? In iis summam Artis Medicinæ ignorantiam fuisse, rerum observandarum inscientiam, agendi incuriam, fateamur necesse est.

Sed illud ab eo excogitatum atque repertum, Scientiam Medicam adeo augebat atque ornabat, ut auctori suo locum amplissimum et summam dignitatem inter homines peritissimos, apud posteros, merito vindicaverit.



Is enim primus, vulgari communique via relictâ, veram Medicinæ rationem investigare et scrutari, ausus est.

Et ab ista scientiæ pervestigatione, nihil ejus animum et cogitationes avocare aut alio deducere invaluit. Illum, non res domesticæ, non publicæ, non privatæ, non ipsa Reipublicæ iniqua tempora, ab hac disciplina et studiis, abstrahere potuerunt; donec, ratione perfecta et maturato consilio,—tenebris et obscuritate dissipatis,—ipsam Medicinam, in carcere quasi inclusam, et vinculis pene obrutam, in libertatem vindicaverit, et in lucem veritatis tandem protulerit.

Contigit autem viro, ad summam senectutem pervenire, integra mente, cæterisque sensibus, et in ipsa senectute, non solum præ cæteris florere, sed inter amicos et æquales, (caritate et humanitate inter se arctissime conjunctos,) omnia vitæ officia exsequi et tueri posse.

Huic Medicorum Sodalitati, quamdiu vixit, beneficia quam plurima contulit: a Sociis dignus honore habitus, et iisdem, in honoribus petendis, præclarum et illustre exemplar.

Neque illum graves Reipublicæ tumultus, aut omnis ratio rerum Divinarum, eo tempore undique perturbata, a studiis Physices et Medicinæ dimovere. Inter tot et tantas eorum temporum molestias, et turbulentissimas tempestates, Mens pectore immoto permansit; neque otium ad eas artes, quibus a puero deditus, celebrandas, inter suosque recolendas, viro unquam defuit. Ea omnia, quæ subactis erroribus, ingenium sibi, incruenta victoria, expugnaverant, parta, retinuit.

Si vero, quantum *Harveianæ* pervestigations arti salutari contulerint, cognoscere et rite æstimare velimus, quænam fuerit ejusdem artis conditio ante *Harveiana* inventa, prius a nobis percipienda est, et penitus animo complectenda.

Nobis igitur, quoad longissime, spatium præteriti temporis



respicientibus, et scientiæ historiam inde usque repetentibus, tota medendi peritia, empirica videtur fuisse. Ars profecto pathologica, in sæculo decimo sexto erat fortuita, inconcinna, et minime accurata; et principia therapeutices, nunc certissima, tunc temporis si non falsa, saltem ambigua et incerta latebant. Res quidem et facta, usu et experientia confirmata, a Medicis Scriptoribus satis copiose commemorata sunt, quam vero cognationem scientiæ pathologicæ habuerunt et quali affinitate cum ea conjuncta essent, prorsus ignotum. Neque sane remediorum ratio et effectus adhuc descripti et in ordinem compositi. Ars enim tota Medicinæ, etiam apud doctissimos peritissimosque, crassa fuit empirices experientia.

Nonnulli quidem, inter Medicos, exemplaria Græca, et Romana, et Arabica, evolvebant, nam inter has gentes viguerat medicina. Praxis autem artis medicatricis, quæ fuerat *Hippocratis* atque *Galen*i, eadem immota atque immutata permanebat. Quæ, si quis attentius consideraverit, deprehendet Scientiam Medicam tenuem et exilem fuisse; solique incertæ et ineptæ experientiæ alligatam, nondum a falsis opinionum commentis sese liberasse, sed quadam prava interpretatione inter cæteras artes jacere confusam.

Negari non potest quin pauci eo tempore, e doctis Hebræorum atque Arabicorum Medicis (adjuvante doctrina), consiliis atque inceptis monachorum sacerdotumque Romanæ Ecclesiæ, sed vix feliciter, repugnare potuerint. Nemo enim, aut vix nemo, ejusmodi hominibus obsistere potuit—qui omnem artem se solos habere, audacter atque impudentius profitebantur, et omnia in se trahere cupiebant,—quo melius et fortius in mentes hominum dominarentur, et divitias possessionesque ægrotorum avide occuparent.

Cum hujusmodi dolis atque astutiis ars medicinæ vera et sincera, licet iis semper contraria, tamen congressu impar, bellum iniquum semper ægre gerebat. Quid enim contra pontificiorum auctoritatem,



quæ omnes Europæ gentes perdomuerat, et cujus imperio hominum pravæ prejudicatæque opiniones ipsæ favebant, viamque ei muniebant, quid sincerus amor veri efficeret? Itaque paucorum medicinæ exercentium artem, tum sacerdotum invidia tum vulgi ignorantia impedivit et in angustias coegit.

Quum vero disciplina Christiana et Ecclesiæ sacra in melius restituta sunt, atque emendata, scientia Medicinæ, suo antiquo fœdere atque amicitia cum Theologia, neve aspernatis neve omnino repudiatis, se tamen ab injusto sacerdotum imperio liberare conata est. Viri isti illustres qui Collegium Medicorum apud Londinum Scholasque Medicas, institui curaverunt, non modo literas Græcas Latinasque in Britanniam primi fere attulere, sed optime quæque exemplaria Græca, præsertim scriptorum de arte salutifera, Latine reddita, accurate ornateque inter suos longe lateque disseminaverunt; unde ipsa scientia Apollinea majore existimatione haberi cœpta est, ingenio et doctrina *Linacri* et *Caii* aliorumque medicorum indies aucta atque amplificata.

Dubitari profecto potest, an medicina aliquid magnum, aut scientia dignum efficere potuerit, aut suam naturam re vera adhuc acceperit. Verumenimvero pervestigationes philosophiæ *Harveianæ* nondum effecerant ut inter disciplinas accuratiores haberetur; aut locum atque auctoritatem sibi propriam assumeret.

Quidam profecto Medici, Studia Medica, Literarumque cognitionem (morborum causas effectusque observando et commemorando), illustrabant atque augebant. Inde Philosophia atque ipsa Medicinæ ratio, uti prius dictum est, altiorem dignitatis gradum indies occupare paulatim ausa est.

Investigationum *Harveii* progressu, harumque natura operibusque certis, tempore etiam maturo, perpensis, rem novam, rem inclytam, sanguinis quod dicunt circulationem eum videmus invenisse multis ante annis quam certum de re mundum fecit.



Prævalida educationis, tamen, opinionumque prius in mentem receptarum auctoritate monitus, rem sæpissime demonstrare necesse habuit, antequam veræ sibi ipsi observationes suæ probarentur;—et si *Harveium* ipsum, mole tanquam gravissima hæ causæ oppresserint, nonne illis ignoscemus, qui non solum inventioni suæ se inimicos præbuerunt, sed in eam pene persecutionem commoverunt?

Hæc inventio, per affinitates omnes sectata, in omnibus contemplata partibus, in situ suo et in conditionibus viscerum rite respectata, investigationis physiologicæ, pathologiæque rationalis fundamen, et observationum conclusionumque, quæ ad salutem pertinent, primordia nobis præbuit.

*Harveii* investigationes quales fuerunt et quantæ! Effectus quanti pretii quantæ virtutis, ex inventione sanguinis circulationis, singulis medicæ scientiæ classibus super memoratis profluxerunt!

Hora fugiens—"quam rapit hora diem,"—me (virtutem, equidem, suam maximi æstimantem) admonet ut prætermittam viros insignes haud paucos (insignes in scientia medicinæ, in fastis nostris literatis et philosophicis, insignes) qui historiam Collegii nostri, a *Linacro* et *Caio*, ad *Youngium*, *Bailleium*, *Proutium*, *Halfordum*, *Parisiumque* inclytam fecerunt. Nomina atque opera sua in historia literarum atque in Collegii nostri annalibus inscribuntur.

"Dignum laude virum musa vetat mori,"

—et horum res gestæ in nostris, quæ singulis habentur annis, orationibus, rite sunt celebratæ. Harum fuit tum laudem et honores illis reddere debitos, tum Collegii socios probare doctos (ut Horatius) "Sermones utriusque linguæ."

Hujus vel illius mentionem facere et—quod brevitatis temporis



cogit—plurimos silentio transire, his injustum esset. Si tamen de illorum gestis, aut in scientia, hujusque Collegii annalibus, aut apud scripta sua, et beneficia, quorum Arti Medicatrici, et per hanc Reipublicæ, sunt largiti, quæatur, iis, qui vel Reipublicæ prodesse conentur, vel sibi ipsis præmia decusque aut nunc parant, aut olim parabunt, illustrissimo pro exemplo habeantur.

Inter illos qui, in memoria recentiori, artem nostram, et litteras, tum scientiæ, tum medicinæ, ornaverunt, præses nuperus noster—nobis quam veneratus! quam deflendus!—eminet—  
PARISIUS—

“ Quis desiderio sit pudor, aut modus,  
Tam cari capitis?”

Fama sua micat, ut dicit ille Venusinus,

“ velut inter ignes  
Luna minores.”

Ille (quo nullus jucundior, amantior nullus,) per annos triginta et quinque amicitia sua me dignum habuit; meum est igitur de ingenio suo et doctrina in arte Medicinæ vos facere certos. Illum, mens et indoles egregiæ, incitamentis istis vilioribus, quibus tam multi, etiam apud nos medicos, proh pudor! imperantur, longe longeque superiorem reddidit.

Scripta sua, a me manu frequenti versata, non solum in facundia et fandi copia, sed etiam in exemplis e scientia deductis,—in conceptione nova, et e mente propria profluente,—in modo, denique, materiam suam tractandi vere philosophico,—inclyta sunt scriptoribus exempla. Illo docente, sit nostrum res atque principia medicinæ scientiæque investigare, et litteris adcuratioribus evulgare.

Ignoscat mihi Munkus noster, si de Parisii vita, egregie concepta egregie scripta, hora fugiens me monet tacere.



Stylo biographico ter callide est usus ipse Parisius. Amici sui, illustrissimi Humphrei Davy vitam, litteris, quibus vix ullæ sunt apud nos elegantiores, consignavit—viam lethi, proh dolor! ipse jam conculcavit.

“Ergo Quinctilium perpetuus sopor  
Urguet? Cui Pudor, et Justitiæ soror  
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,  
Quando ullum invenient parem?  
Multis ille bonis flebilis occidit;  
Nulli flebilior quam”—*mihi*.

Ex hoc medicorum doctissimorum conventu, quos quod nunc alloquar in hac Oratione, summo mihi est honori, multi in memoriam res gestas per annos plusquam triginta revocare possint. Hi, quam nos exercemus Artem, ordinem suum mutasse fatebuntur, ne dicam ab eo honoris gradu, quem apud doctiores olim habuit, delapsam esse. Hoc non dubitari potest; aut ab iis qui ad id efficiendum pro parte sua laboraverunt, pro dubio habebitur.

Hoc infortunium, ab illis qui cum Youngio, Baillieio, Halfordo, Proutio, Parisioque, vixerunt, et qui magni æstimant pretii decus et honorem in quibus ars nostra olim habita est, et in hunc diem haberi debet, magnopere deflendum est—contemni non potest.

Horum erit, dum malum plorent, ejus de causis quæstionem facere: has explicantes, malum ipsum fortasse amovere facilius poterint.

Multorum, etiam apud medicos, mos est clamitare se tam naturam tam remedia quorum nescio morborum, aut rerum, e quibus morbo afficitur aut membrum aut viscus, supra alios qui Artem Medicatricem exercent, sapere. Ab hoc evenit



ut e nobis aliqui (utut ii quibus partes corporis viliores curæ sunt propriæ), se, præ aliis morbum hunc vel illum levare, aut membrum corporis internum quod ægrotat, sanare posse, profiteantur. A nobis longe absit, ut vel modos consuetudinesque eorum qui de arte medicinæ apud Ægyptos antiquos versabantur, vel pathologiam sæculorum quæ inventioni Harveianæ præcesserunt, in lucem revocamus. In illis temporibus circulationem sanguinis intime omnibus corporis partibus referri, membraque singula corpori toto, tum per sanguinem, sanguinisque circulationem, tum per nervas aliasque partes connecti, medicis ignotum fuit.

Medicinæ cultu sic diviso, ars nostra, quæ, dolores levando, vitamque humanam longiorem faciendo, artes omnes longe antecellit, a dignitate sibi debita, haud raro dejicitur, et pro arte sordida habetur; dum vulgus, illud, pro veritate habet, ut in Medicina, sicut in aliis artibus, laboris divisio excellentiorem efficit artificem. Sed ut dicit Mantuanus,—

“ Non tali auxilio nec defensoribus istis  
Tempus eget.”

Inter alias honoris artis dilabentis et caducæ causas, disciplina, in scholis collegiisque doctrinæ liberiori deditis, neglecta, primum habet locum. Hæc negligentia haud raro efficit ut in aliquorum Medicinæ cultorum indole, moribus, modoque artem exercendi, esset quod pro vitio habeatur.

Hos ea indoles nobilior quæ ad artes ingenuas discendas vocat, et generi humano pro honore est maximo, nec dirigit nec cohibet. Nempe has optime, ne dicam unice, discimus, cum in animos (nobis jam junioribus) inculcentur, exemplisque coram oculis propositis, confirmentur.

Disciplina, quæ, ad accipiendam colendamque medicinæ scien-



tiam mentem parare possit, neglecta, multa, hujus incremento inimica ; multa, dignitati famæque artis cultorum adversa, eveniunt. Artis Medicinæ januam multis patefacit, quos ars ipsa neque postulat neque desiderat ;—viles inducuntur mores ; et facta foveantur turpia : usus denique medicinæ alitur empiricus, qui, ab ea indole nobiliori, quæ apud medicos rite edoctos habetur, nec insignitur nec insigniri possit, et medicinæ scientia artem in sordidam, ut dictum est, vertitur.

Alia, et haud fortasse minora, ex eodem fonte nobis mala profluunt. Empirices, vel potius fallaciarum, formæ modique multiplices, quæ in mundum irrumpebant et in hunc diem irrumpunt, istos, disciplina tam male instructos, aut auctores habent aut discipulos. Quo magis ab honestate res et doctrina abhorrent ; quo magis sensus communis, mores, et consequentiæ e ratione deductæ, iis repugnent, eo magis ab his avide corripitur ; eoque multis, inter omnes reipublicæ gradus (“ tam nobilibus,” quod dicunt, “ tam novis”), empirice ipsa, et (ut dicunt Græci) γοητεία, pro veritate habetur.

Mendacia impudenter iterata, ad mentes erroribus implendas vim habent magnam. Empiricis, ægrotos ab ipsis, tanquam a miraculo, sanos clamitantibus factos, aures adhibent vulgus, fiducia non minore quam rebus ipsissimis, de quibus certos se faciunt sensus sui. Immo homines, tam litteris imbuti, tam in honore in republica habiti, ab istis veteratoribus pestiferis sæpe falluntur, et (quod est mentis miserrime deceptæ) se falli gloriantur.

Mens certe, aut in linguas discendo, aut in “ doctrinam,” ut dicunt, parando exercitata, raro se minus aptam ad credendum probat. Immo credulitatem (nisi addantur et eruditio e scientia deducta, et usus earum mentis facultatum quarum est meditari et deliberare) hæc disciplina alet et fovebit. Hæ facultates non solum vitas nobiles nostras reddunt, sed “ rerum primordia,” ut ait



Lucretius — principia, id est, prima, — tum mentis tum materiæ exponunt; et horum interpretes veras se ipsas præbent.

Ii igitur, qui satagunt rerum quæ fidem, et memoriam usu exercitatam, poscunt, sæpe mendacia præstigiaque nebulonum tanto avidiores appetunt quanto hæ a ratione plus plusque abhorrent

“Cum ventum ad verum est; sensus moresque repugnant,  
Atque ipsa utilitas, justi prope mater et æqui.”

Medici haud pauci, doctrinas de artis cultu ultra legem tendentes; — de modo arte nostra utendi; — de nodis, quos solvere vix hominibus datur, lites publicæ; — de rebus, investigationem coram iudice poscentibus opiniones medicorum inter se aperte discrepantes; — ars ipsa medendi a fraudibus dolisque empiricorum minime defensa, immo, ordine a magistratibus privata, et (his annuentibus) vafri nebulonibusque occupata, — qui et nomen medicorum et medicinæ usum sibi corripiunt, et, cum ab illis ægrotus consilium petat, id respondent quod advocati Demipho ni apud Comicum — “alius negat, alius ait; — alius . . . deliberandum censet,” — hæc omnia sunt inter causas cur, tum medici rite docti, tum beneficia quæ universo hominum generi conferre illorum est, apud vulgum parvi æstimentur. His addas (malorum quibus nos et ars nostra subjiciuntur nullo modo minimum), ut aliqui hanc recte exercentes, virtuti ipsius medicinæ parum credant.

Medici, de principiis pathologicis et consequentiis quæ e medicina oriuntur imperfecte docti, cum artem suam exerceant haud raro falluntur et errant — cum tamen pro his erroribus ignorantia sua esset incusanda ii in morem habent culpam omnem arti salutiferæ transferre.

Hæc ignorantia efficit ut empirici morbos quos decet allevare sæpe graviores faciant, et in mentes suas haud raro infidelitas inseritur,



ad quam se recipiunt, et a qua (tanquam clypeo) defensi, inscitiam celare suam, artemque ipsam turpem reddere conantur. Disputator in medicina incredulus et Pyrrhonius, de rerum ad valetudinem conferendam aptarum natura et virtute prorsus est ignarus. Illi non datur opiniones quæ rationi congruant aut in animo et cogitatione comprehendere aut in rem proferre. Res, quibus se imparem noscit infames reddere conatur, et cum ab istac arte desistere debet, errores suos et casus adversos, non sibi, sed ipsi medicinæ arti, utpote vel vitiosæ vel prorsus inutili, tribuit. Infortunium suum sic perpetuum faciens se ipsum medicinæ imperitum, et verba sua vana omnino et falsa, aperte probat. Incepta ejus assidua, sed eadem vana atque irrita, se non solum inscientem atque indoctum esse, sed etiam quæ sentiat simulate profiteri, arguunt. Mendax et scientiæ vacuus probatur; mentiri certe suum est, salutem dare nescit.

Est quidem res gratissima, Præses doctissime, ut inter illos omnes qui, iis artibus iisque modis vel aliis hodiernis credulitate fatua pervulgatis Medicinam exercendi aut potius scientiæ dignitatem obscurandi, quos ego reprehensione dignos adjudicavi, sunt usu, ex hoc Collegio nullus est qui ita se male gessit. Hujus institutionis (inter omnes, quæ ad scientiam pertinent, institutiones per totam hanc insulam antiquissimæ), per illorum famam, qui eam per annos plus quam trecentos, ornaverunt, celeberrimæ; et, ob eos quamplurimos, a quibus, tum litteræ et scientiæ per hanc insulam exornatæ sunt, tum ars medicinam practice colendi per orbem terrarum est promota;— clarissimæ — hujus institutionis — (adhuc ita in honore habitæ, honore tam dignæ) — e sociis nullus — iterum iterumque dico — ab iis modis medicinæ utendi qui ab usu rationeque sunt sanciti, discedens, famam obscuravit.

Hoc Collegium—ab iis qui inter omnes ætatis suæ sunt maxime



eruditi, fundatum et sustentatum; et ab illo qui novas artes excogitando, primus inter alios morbis et doloribus humanis solatium attulit, nutritum,—ii quorum fama, famam eorum qui honores dignitatesque præ aliis in republica obtinuerunt, longe antecellit, illustre fecerunt.

Et plurimi æstimati, sociorumque nostrorum proculdubio honore et fama illustres redditi, de futuro nihil nobis desperandum est. Cum res præsentēs circumspiciamus, et præteritas contemplemur, spes futura mentem facit jucundam. Famam dignitatemque institutionis nostræ nos, et singulos et conjunctos, custodire oportet, et dum hujus fama nos illuminat, honores nostri et conatus ad scientiam, artemque medicinæ, promovendas, adhibiti, in hac conveniunt.

Sic honorem recipientes sic conferentes; sic scientiæ nostræ Medicatrici gloria illuminati, et dignitate consociati; sic inter nosmet ipsos arctissime conjuncti, æquo animo contemplari, nostrum sit, quid agant ii qui leges reipublicæ scribunt. Hi viribus jam validi medicos parvi faciunt, cum tamen vel pro se ipsis vel pro iis, quos amantiores habent, aut ægrotantibus aut mortis timore turbatis et perfractis, auxilium a medico implorent, plurimi nos æstimant. Hi, vel de arte medendi ignari, vel in partem pejorem ab indole parum nobili, seducti, laudes nostras minuere conentur; honore tamen (omnium qui hominibus dantur clarissimo longe, atque insignissimo) dolores humanos levandi et vitam hominum longiorem faciendi, minime nos possunt privare.

Illecebras, junioribus famam appetentibus, Ars Medicinæ proponit nullas. In omni fere reipublicæ gradu, iis qui ingenio præstant et indole, honor, dignitas, divitiæ, pro præmiis largiuntur,—medici quam rarissime hæc participant. Ars Apollinea, præ omnibus, ingenium a cultoribus suis postulat omnigenum. Mollis et qui se ipsum nimis amat, honoribus ejus prorsus est indignus: illum

tantum, qui pro virtute et dignitate in ea a natura insitis eam diligit, eam colit, hi manent. Locum, tum ingenio doctrina disciplinaque exculto, tum benignitati sanctæque caritati, præbet amplissimum—Cum naturæ in operibus ejus multiplicibus satagat, infinita est ;—Cum in rebus quæ ad dolorum levationem spectant, se perpetuo exercet, beneficia affert universo hominum generi ;—Cum denique in morbos sanando, vel leviores faciendo, tota versetur, —per totum terrarum orbem imperium exercet pene divinum !

FINIS.





















